

X a
1976

DE FRIDERI-
CO ARCHIEPI-
SCOPO MAGDEBUR-
gensi &c. Administratore Halber-
stadensi, filio Ioachimi II. Ele-
ctoris Brandenburgens-
is &c.



NARRATIO

PAULI PRÆTORII
Bernouiensis, Præceptoris & Sena-
toris iuniorum Principum Bran-
denburgensium.

ADIECTA EST EPISTOLA
eiusdem Prætorij consolatoria ad Electorem
Brandenburgensem, in funere FRI-
DERICI &c.

ITEM

ECLOGA IOHANNIS SCHOS-
seri in laudem eiusdem Marchionis Fride-
rici Archiepiscopi &c.

VVITTEBERGÆ

1560.

E P I T A P H I V M
FRIDERICI MARCHIO-
nis Brandenburgensis, Archiepiscopi Magde-
burgensis, qui obiit Anno
M. D. LII.

*R*eddidit ante diem Fridericus Marchio uitam,
Factus ubi Præsul Parthenopæus erat.
Hunc ubi conspexit Respublica morte solutum,
Fleuit: & hæc mæsto pectore uerba dedit:
O columen Friderice meum: ceu messis in herba,
Ab tua sub primo flore iuuenta perit.
Te uix alter erat præstantior indole Princeps:
Spes erepta mihi funere quanta tuo?

G. Sabinus F.



IN ORATIO
 NEM M. PAULI PRÆ-
 TORII BERNOVIENSIS,
 de morte Reuerendissimi & illustris-
 simi Principis FRIDERICI
 Archiepiscopi Magdeburgensis &
 Halberstadensis, Marchionis
 Brandenburgensis
 &c.

Αἱ οἱ εὐκλείης νεκροὶ μὲν ἑαστὶν ἅπαντες
 σπῆδασμὸς οἷς ἀρετὴ ἢ σφετέρωτο
 βίῃ.

Ἐξοχα δ' ἐν ταῖσι, ὅσοι ἀνέρες ὑψιγένηθλοι
 ἔργων ῥεκτῆρες τῆδ' ἐγένοντο καλῶν.
 Ζῶσθ' εἰναρέτως παραδείγματα εὐδοκίμῃ
 ἄλλοις

Ἀψέκτοις προλιπῆν ὡς δ' ἄσασιν ἠθεσ' αἰ-
 τοῖσδ' ἐν δόξῃ εἰ φριδ' ὄρεχε σὺ, ἔσθ' ὅτ'
 ἐνείκας

πρῶτ' ἰωαρχῶν γῆν κατὰ τευτονικήν,
 ἔκγεγάωστε πατρὸς κλειτῶ, ἐνός ἐπ' ἀπὸ
 πρῶτων

οἷς ἀρχαίρεσιν παρδ' ἔδοθ' ἡγεμόνων.

Α. 2 ΣΟΙ

σοὶ γὰρ καὶ αὐτῶ ἀρετῆσι κεκασμῶν ἦτος
χρησοσῶν, χ' ὀσίη, καὶ νόος ἐοθλὸς ἐνῆμ.
καὶ μὴ προφθασῆν σ' ἀφελούσ' ἢ μοῖρα
κραταιή,

οὕτω ἡλικίης τέσμα κιχόντα τέης.
παιπόλλων ἀγαθῶν καὶ δόξων πρόξενος
ἔργων,

σὸν βίον εὖ διάγων ἡμῖν ἀρῆες ἔτι.
νῦν δ' ἀπ' σῶμα βαλὼν ἀνέβης εἰς οὐρανὸν
εὐρύμ,

ἔσιρ ὅπως σφέτορον χρισοσεβέσιμ ἔδος.
χ' ἡδ' αἰ ἀγγελικοῖς ἐς ἀλκῆτα ὁμέσιος ἐσ-
μοῖς

ἡματα, γῆρ θυμῶ οὐκ ἀέκοντι λιπῶν.
ἦς ὡς ἐνναέτας σέθερ οὐκ ἀμνήμονας εἶναι,
τόνδε τεὸς πορὶ σου παῦλῳ ἐγραφε
λόγῳ.

Paulus Dolscius.



Illustrissimo

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMI-
no, Domino Ioachimo II. Sacri Ro-
mani Imperij Electori, ac Camerario
Marchioni Brandenburgensi, Steti-
nensium, Pomeraniæ, Cassuborum,
Sclauorum, & Crossnæ in Silesia
Duci, Burggrauio Norinbergen-
si, Principi Rugiæ, Domino
suo clementissimo,

PAVLVS PRÆ-
torius S. D.



VM MIHI MI-
nimè sit obscurum Illu-
strissime Elector, vete-
ra vulnera non esse facile
refricanda, nec veteres
dolores ita facile esse renouandos, mi-
rum videri potest, quid animi mihi
sit, & quis me impetus ad has traxe-
rit scriptiones. Nam cùm in his vitæ

A 3

ratio

EPISTOLA

rationibus, in quas ingressus sum, & multis iam annis, quasi in perpetua palæstra verſer, debebam profectò monitor alijs esse, vt quæ maximè vel in his vel in alijs decerent, accuratè secum in animo reputarent, Sed conſolatur me Celsitudinis tuæ naturæ bonitas, & hoc quoq; quod constat omnibus pijs & honestis operam dandam esse, vt præcipuorū Principum, laudēq; dignorum descriptiones ad posteritatem transmittantur: Id enim in primis est necessarium, non tantum ad nominis familiarumq; memoriam, verumetiam ad conſervationem rerum gestarum, ex quibus multa ſumuntur in negotijs rebusq; posteritatis rectè gerendis & administrandis.

Quotiescunq; autem de Friderico filio tuo, sub cuius quasi tutelam,
 Deus

DEDICATORIA.

Deus optimus maximus peculiariter me vocauerat, cogitationes aliquæ, (quod quidem sæpiſſimè fit) mentem meam ſubeunt, non poſſum non de eo honeſtiſſimè ſentire, & honeſtiſſima eũ proſequi cõmendatione. Imo quantum quidem mihi iudicium eſt à Deo cõceſſum, cogor ei locum inter præcipuos noſtri ſeculi Principes ac dominos tribuere. Nam eſi in adoleſcentiæ quaſi terminis continebatur, tamen ita ſe gerebat, vt conſpicerentur multiplicia in eo virtutum ornamenta, neq; ea tantum, quæ ad politicas res ſpectarent, verumetiam talia, quorum uſus eximius in religionis ſtatu negotijsq; futurus videbatur. His igitur rationibus adductus nõ poſſum intermittere, quin de illius ingenio, moribus, morte alijsq; nõnullis rebus, quæ memoria dignæ ſunt, qualem

EPISTOLA

cunq; instituam commemorationem.
 In eo credo me aliquid solidè, quod
 quidem ad ipsas res attinet, præstare
 posse, cùm interfuerim plerisq; nego-
 tijs, & meas interdum agendi partes
 instituerim.

Cuperem autem valdeq; opta-
 rim, vt qui de me viuus præclarissimè
 meritus est, in eius defuncti descri-
 ptione tantum efficere possem, vt pro
 ipsius dignitate aliquid expositum es-
 se videretur. Sed intelligo quàm ar-
 duam rem, quamq; difficilem aggre-
 diar, quòd eius hominis historiam,
 qui omni genere laudis cumulatus, in
 ipsa prima etate florere cœpit, bre-
 uissima narratione complecti velim,
 præsertim cùm ad illarum rerum am-
 plitudinem ingenij tenuitatem, & ad
 multitudinem, memoriæ debilitatem
 adferam, & alioqui nec arte studioq;
 dicendi

DEDICATORIA.

dicendi, nec usu & exercitatione magnopere sim instructus.

Sed in ista quantumuis magna rerum copia atq; difficultate, viriumque mearum, cuius conscius mihi sum, tenuitate, hoc me tamen nonnihil consolatur, quod re ipsa expertus sum, tenuissima quoq; , quoties saltem voluntas bona est, Celsitudini tuæ placere. Accedit & illud, quòd certus sum, vera me narrare, quæ tibi tuisq; consiliarijs coràm cognita sunt, et recenti memoria conseruantur. Eas igitur descriptiones ad te potissimum mitto, & tuo nomine ornandas esse iudicavi. Nemo enim est omnium, ad quem magis pertineant quàm ad parentem. Nam ita natura comparati sumus, vt insit animis nostris naturalis quædam beneuolentia, vel σοφὴ, qua prolem cōplectimur, officijs prosequi, atq; adeò

EPISTOLA

cumulare cupimus, & nos ipsos in ea
oblectamus. Etsi autem alioqui nota-
tissima tibi sunt, quæ hic narrantur,
tamen illud inest boni, quod quæ aliàs
sparsim de filio tuo diuersisq; tempo-
ribus, vel vidisti ipse, vel ab alijs ac-
cepisti, ea collecta quasi in fasciculo
tenuissimo, vno eodemq; tempore co-
gnoscere queas. Idem alijs qui sub tuo
nomine legunt, ita prodesse poterit,
vt multarum inde virtutum docu-
menta, ex quibus seipsos varijs de re-
bus comonefaciant, depromere possint.
Sed illis omnibus cum ociosa magis
quam necessaria videri queant, sepo-
sitis, hoc tantum à Celsitudine tua pre-
cor, vt de hoc studio meo, pro veteri
clementia iudicet, ac simul etiam ea,
qua consuevit beneuolentia me prose-
quatur. Ego cum aliud nihil admo-
dum possim, Deum precor, vt conser-
uet.

DEDICATORIA.

uet hoc, quod in Celsitudine tua operari cœpit. Ex Salinis Saxonice ad Salam, Calendis Septembribus, quæ sacrae sunt Egidio Abbati. Anno ab orbe redempto
M. D. L. X.

DE FRIDERICO ARCHIEPISCOPO
Magdeburgensi & Administratore
Halberstadensi &c. Marchione
Brandeburgensi &c.

NARRATIO
PAULI PRÆTORII.



INTER EXCELLEN-
tes Principes, quorum
memoria ad posteritatem
conseruari debet, meritò
recen-

recensendus est **FRIDERICVS**
Archiepiscopus Magdeburgensis etc.
Ioachimi II. Electoris Brandebur-
gensis filius. Etsi enim adolescens è
vita discessit, antequàm suam, virtu-
tes quæ sese exerebant, maturitatem
consequerentur, tamen ab ineunte
ætate ita se gessit, vt omni posterita-
ti ad virtutem exemplo esse possit.

Hac de causa vtile visum est,
mandare literis vitam et actiones oēs
ipsius, ne earū memoria obliuione po-
steritatis extinguatur. Nam & pro-
dest extare honesta vitæ exempla,
quibus posteri ad virtutem exciten-
tur, & is Princeps, quoniam studia
literarum semper maximi fecit, di-
gnus profectò est, cuius memoria lite-
rarum monumentis immortalitati
consecratur.

Vt autem inde ordiar vnde so-
lent

lent narrationes proficisci, Natus est
Fridericus Anno 1530. post sex-
tam matutinam ex illustri & inclyta
maiorum stirpe, ex qua nasci semper
honestum & gloriosum fuit. Propa-
gantur enim vt corporum formæ, sic
insita maioribus virtutum semina in
posteror, nec degenerem procreant
aquilæ columbam. Ac quemadmo-
dum plantæ ex optimis seminibus edu-
cata feraciores sunt: ita generosiores
esse solent, qui claris maioribus nas-
cuntur. Pater ei fuit Ioachimus II.
Sacri Romani Imperij Elector &
Archicamerarius, cuius quanta sit
dignitas, quanta potentia, nemini
est ignotum. Nam locum certasque
partes in numero Septemuirum ha-
bet, penes quos est ius & potestas
creandi Imperatorem: Ac tenet am-
plissimam regionem veteris Germa-
niæ

nia, olim à Sueuis, Senonibus & Vandalis inhabitatam, quæ quidem regio duobus celeberrimis & amœnissimis inclusa fluminibus Albi ac Viadro, & Sueuo Haveloque rigata, fertilitate soli, ubertate & copia piscium, multitudine oppidorum & equestribus copijs facile alias superat.

Matrem habuit Fridericus Magdalenam Georgij Saxonie Ducis filiam, quæ fuit inclyti regis Poloniae Sigismundi neptis ex sorore.

Vtriusq; verò parentis virtus omnium laude celebratur. Nam Ioachimus propter robur & celsitudinem animi, & res superioribus bellis contra Turcos præclarè feliciterque gestas consensu omnium ordinum Imperij designatus est Imperator, qui anno 1542. duceret exercitum ad recuperandam à Turcis Hungariam:

Est

Est eius præterea excellens sapientia
& singularis integritas, spectata
difficilimis Germaniæ temporibus.
Nam cum Principes Germanici dissi-
dijs atq; odijs distracti, fœdera inter se
facerent, ipse à confœderatione omni
abstinuit. Nec immiscuit se bellis in-
testinis, sed quoties exortum fuit in-
cendium belli, id consilio & opera sua
extinxit. Deuicto & capto Ele-
ctore Saxonie Iohanne Friderico,
cum non deessent indulgentes irarum
& crudelitatis ministri, qui exulce-
ratum Caroli Quinti animum instiga-
rent ad crudelitatem, & ad supplici-
um à Saxone sumendum, ipse depre-
catorem se præbuit pro illius & com-
muni totius Germaniæ salute. Nam
cum ad Imperatorem in castra ve-
nisset, quæ tum prope VVitebergam
erant, grauiter et sapienter admonuit
victo

Victorem omnibus formidabilem, si Germaniam in fide continere vellet, ut moderatè victoria vteretur, nec quicquam immitius statueret in captiuum: meminisset potius se ab eius patruo ad illud Imperij fastigium euectum esse, cum ille imperium sibi delatum recusasset. Ea admonitione effecit, ut non solùm Imperatoris sententia, qua captiuus capitis damnatus erat, mitigaretur, sed ut pax etiam uniuersæ Germaniæ restitueretur.

Novo deinde bello in Germania concitato, quod eidem Carolo fecerunt Mauricius Elector Saxonicus, & Albertus Marchio Brandenburgensis filius Casimiri, rursus se interposuit pacificatorem, deditq; operam, ut istius quoq; belli tempestas sedaretur. Insuper autem puriorem Euangelij doctrinam amplexus, in Eccle-

Ecclesijs suis impios ceremoniarum
ritus aboleuit, qua in re & signific-
cationem veræ pietatis & officium
Christiano Principe dignissimum de-
claravit. Studia quoq; literarum, quæ
turbulentis hisce temporibus inter-
dum iacent, eximia liberalitate suble-
uavit. Nam Academiam Francofor-
dianam, à patre ipsius fundatam, &
numero Professorum, & accessione
stipendiorum liberalissimè auxit.
Magdalena mater eo fuit ingenio, usq;
moribus, vt laudatissimarum fœmi-
narum gloriam æquaret. In primis
erat casta, sobria, comis, benefica.
Cumq; esset formosa, nulla re minus
cupiebat videri formosa, quàm for-
ma. Accedit ad uirtutem Paren-
tum antiquitas vtriusque familie,
Saxonice videlicet & Marchiæ,
in qua innumerabiles Principes rerum
gestarum

B

gestarum

gestarum gloria clarissimi extite-
runt. Sed vt breuior sit narratio,
relinquam illa in medio, & quasi de
industria ijs in praesentia supersedebo,
reijciens ea ad alias aliorum copiosio-
res descriptiones. Interea illa potissi-
mum attingam, quæ ad hanc de Fri-
derico, cuius res vitamq; tractandam
suscepimus, expositionem facere vi-
dentur.

IN prima ætate, sicut erat opti-
ma natura, ac indole generosissima
præditus, permulta laude dignissima
proprio quasi motu & incitamentis
illarum virtutum, quarum semina di-
uinitus ei insita erant, quæq; Reipub.
Christianæ vniuersæ, si diutius ipsi
vita suppeditasset, maximo vsui fu-
turæ videbantur, in publicum lu-
cemq; edebat. Narravit aliquando
mibi alijsque Laurentius Neuper,
vir

vir fide & probitate clarus, præfe-
ctus ærarij in aula Brandeburgensi,
primarius, Inclytum Electorem Brā-
deburgensem Ioachimum primum,
cū ex Comitij Augustanis Anni
1530. domum redisset, ab infante
Friderico, qui eo anno in lucem editus
erat, expansis vlnis et vultu placidif-
simo exceptum fuisse, et ob id in hanc
erupisse vocem: *Dis ist mein
Son / Vest in Gott mir leben-
dig / so wird er freundlich / holdt-
selig / Gottfürchtig vnd ver-
stendig werden.* Hoc vaticinio
prudentissimus Elector ex gestibus
excipientis se Nepotis prædixit quæ-
dam, quæ re ipsa secuta sunt, & facta,
luce meridiana clariora. Quem enim
in omni vita humaniorem Friderico
fuisse dicam? quem clementiorem?
quem subditis alijsq; vel infimæ sortis

B 2 hominibus

hominibus magis beneuolum? Ideoꝛ
in nonnullorum reprehensionem (sicut
alijs alia placent) incidit, interdum in
ætate prima, quod sine discrimine
quoslibet sibi vel in templum vel aliò
eunti obuios, dextra porrecta, & sa-
lutaret, & benignè compellaret, &
cum ignotis etiam colloqueretur.

De pietate verò, cuius spem re-
deñti auo præbuit, præclara extāt te-
stimonia, & quo pacto eã usq; ad ex-
tremum vitæ actum firmiorē reddere
studuerit, ex quotidianis summi erga
Parentē amoris & reuerentiæ signis
ficationibus non erat obscurum. Quis
filiorum patrem magis dilexit? quis
obsequentior fuit? quis gaudio maiore
affecit suos? Ac memini eum sæpe hoc
mihi dixisse: Ego Patrē meū ab incu-
nabulis non minus amaui atque pro-
priam

priam vitam, & mori malle, quàm
mea illum culpa vel negligentia ad
iram prouocare, neq; committam fa-
cilè, etiamsi multos mihi inimicos ca-
piundos sciam, vt me de mandati ali-
cuius sui neglectione arguere queat.
Nec ea tantum dicebantur ab ipso,
sed in multis actionibus vitæ reipsa
elucebant, planèq; conspiciebantur.
Nam cum liberior potestas viuendi
daretur, per sepe sola mandati pater-
ni mentione in officio retinebatur, vel
eò, vnde digressus erat, reuocabatur.
Adeò profectò id dabat operam, &
adeò in id incumbibat, ne quicquam
committeret, quo vel parentem offen-
sum iri, vel ad animi molestiam aut
indignationem commoueri posse exi-
stimaret. Quid dicam de animo & be-
neuolentia eius erga alteram ipsius
quasi matrem? nonne coluit eam sum-

mo studio? nonne honore digno adfe-
cit? quid non in eius gratiam contu-
lit? quid non fecit, ut gratiam eius
mansuetudine sua foueret, obedi-
tia augetet, amore confirmaret? Atq;
illius quidem rei testes ipsæ sunt la-
chrymæ quædam effusæ, cum in ipsius
ad gubernationem discessu, tum mul-
to magis post tristem illam ex hac vi-
ta migrationem.

De ingenij verò dotibus, &
singulari prudentia, qua mirificè or-
natus erat, rectissimè prædictum ab
auo fuisse, plurima testimonia referri
possunt. Etsi autem ea de re peculiaris
commemoratio hoc loco institui pote-
rat, tamen ne crescat narratio ni-
mium, et ne sine ordine res commisce-
ri videantur, supersedebimus illa ex-
positione, quod quidem ad hunc atti-
net locum, præsertim cum existime-
mus

mus ex sequentibus totum illud longè
evidentissimum fore.

Illis igitur & similibus omis-
sis ad studia eius literaria, quibus se-
dulò diligenterq; incubuit, accedo. Et
si autem hoc loco non tantùm multa,
verumetiam præclara narrari pos-
sunt, tamen illa potissimùm attin-
gam, quæ talia sunt, ut silentio præte-
riri neq; debeant neq; possint. In pri-
ma ætate ob morborum varietates in
literarum tyrocinijs plurimum impe-
diebatur. Nihilominus progressum
faciebat talem, vt latinam linguam
facilimè addisceret, eaq; expeditè,
magnaq; cum venustate & cum sum-
ma audientium admiratione vtere-
tur. Ac scripsit etiam aliquoties ad
doctissimos quosq; viros, & præser-
tim ad D. Philippum Melanthonem,
Iodocum Vuillichium, Georgium Sa-
binum,

B 4 binum,

binum, quæ literæ sine dubio diligenter sunt asseruatae. Cum iisdem sæpe non absq; magna suauitate latinè collocutus est, ac de varijs rebus, sed potissimùm de religione, eiusq; cōtrouersijs familiarissimè contulit. Multos Pastores verbiq; Diuini Ministros ipse examinabat, de officio pastoralis admonebat, de Ecclesiarum statu perconctabatur.

Eo verò tempore, cùm prouidentia Dei omnipotentis, & consilio nobilissimorum quorundam in Archiepiscopum Magdeburgensem & Halberstadensem (vt vocant) Administratorem, vocaretur, statim viam sibi munire cœpit ad omnium fauorem beneuolentia & humanitate piè & honestè promerendum. Nam verecundiam (quæ vitæ ornatus & custos omnium virtutum à Cicerone vocatur)

catur) in omni vitæ actione illibatam
summa cura retinebat, atq; illius septa
turpiter transilire maximum dedecus
existimabat. Atq; inde quidem fiebat,
vt multi non tantum virtutem illam
in ipso, verum etiam mores, gestus,
actiones, incessus, sermones & collo-
quia ad verecundiam composita plu-
rimum admirarentur, & ob hanc in-
ciperent eum magis magisq; diligere,
& maioris semper æstimare. Omni-
bus autem, quæ ad vocationem illam
pertinebant, abundè constitutis, ad
ipsam demum gubernationem susci-
piendam, pro veteri consuetudine
Halam deducitur, in quo comitatu
præter ipsos Principes magnus erat
numerus Nobilium, Comitum et Ba-
ronum. Ibi tunc magno cum applausu
exceptus, summam rerum obtinet, &
demãdatur ei inspectio totius Regio-

nis. Atq; id quidem factum est Anno
1552. 19 Martij.

In ipsis verò gubernationis ini-
tijs, & primo quasi aditu, veniebant
ad ipsum optimates quidam ex præci-
pua nobilitate, quorum eximia pru-
dentia, peritia & eloquentia erat. Ij
suo & aliorum nomine multa de offi-
cio boni Principis, multa de fideli ve-
terum administratione, multa de col-
lapso Reipub. statu reparando, multa
de amborum Episcopatum viribus
restituendis, multa de captis & vi
possessis Urbibus, arcibus, munitioni-
bus, feudis, alijsq; locis, multum deniq;
de tota Republica prudēter instituen-
da & feliciter administranda, pro-
lixæ & graui oratione exponebant,
neq; intermittebant quicquam, quod
ad illius animum, gubernationis ali-
quanto rudiorem rectius informan-
dum,

dum, poterat adhiberi. Illis tum (ut
erat animo natura moderatissimo) uo-
ce benignissima, respondit, multis sibi
modis fidem, studia et benevolentiam
illorum antea esse cognitam & pro-
batam, neq; sibi dubium esse, quin in-
ter se satis superq; de feliciore guber-
natione prudenter instituenda consul-
tarint, optare se ob id eorum senten-
tias consiliaq; cognoscere, hæc se ani-
mo grato auditurum, & vel pedibus
in illa non grauatim iturum, nisi for-
tassis incideret aliquid, quod videre-
tur alijs deliberationibus dignum.
Hæc oratio tum illorum, de quibus
antea dictum est, optimatum ani-
mos leticia non vulgari accende-
bat, quòd se ex animi sententia talem
Principem nactos viderent, qui non
tantum quælibet moderatè per se ge-
sturus esset, sed honestis quoq; consi-
lijs,

lijs, salutaribus admonitionibus, & prudentibus deliberationibus obtemperaturus. Ideoq; gratulabantur sibi, & cœperunt ipsum mirifica statim beneuolentia complecti, adeo, vt obtulerint quædam, quorum in hac narratione meminisse neq; decet, neq; nostri est instituti. Sicut autem in omni vita curæ nobis esse debet, vt officiorum pietatis in primis ratio habeatur: ita in hac gubernatione veræ pietatis exempla in Friderico sunt conspecta. Nullum enim diem prætermittebat, in quo non temporis nonnihil precibus pijs tribueret. Exercitij loco Psalmos, quos pœnitentiales vocant, habebat, quibus finitis addebat preculas quasdam ad Deum Patrem, ad Deum Filium, ad Deum Spiritum sanctum, quibus auxilium à Deo aduersus quaslibet calamitates, quæ singulis momentis

momentis expectandæ sunt, implora-
bat. Ac tantum illis autoritatis tri-
buebat, vt quæcunque à Deo in agni-
tione Filij Dei & vera fide peteret,
ea statueret firmissima fiducia se con-
secuturum. Hoc quis neget esse ve-
rum indicium pietatis in Deum, præ-
sertim in Christiano rectè instituto?
quo pacto, qua via est aliter Deus co-
lendus? nonne inuocatione? nonne
adoratiõne? nonne gratiarum actione?
nonne misericordiæ diuinæ comme-
moratione? Sanè qui sic inuocant
Deum, qui vera fide statuunt eum mi-
sericordem, & in promissionibus fi-
delem, qui fidem illam bonis operibus
in proximum perspicuè declarant,
Hos nemo negabit veræ Ecclesiæ ci-
ues, & organa salutaria esse.

Neg. verò in priuata duntaxat
vita talis erat, sed ad subditos cogita-
tiones

tiones oculosq; referebat, quibus eodem modo in vera religione consultum cupiebat. Vidimus singularem animi ardorem atq; impetum erga religionem, eam videlicet, quæ cum fontibus sacræ scripturæ consentit. Quantum animadverti poterat, fuisset aliqua tandem Ecclesiarum in illa regione, quam commissam habebat, inspectio suscepta, & institutæ reparationes, quas multa poscere videbantur. Atq; eo quidem nomine cum ipso iam Georgio Anbaldino prudētissimo Principe, cumq; alijs quibusdam pijs & doctis viris collocutus certò decreuerat Synodum aliquando in Salinis Saxonis ad Salam fluvium conuocare. Quin etiam cum illis, quibus aliqua pars gubernationis erat commissa, aliquoties de hoc ipso negotio priuatim agebat, sed illis tamen
adhibitis

adhitis potissimū, qui non prorsus ab
emēdatione errorū ac superstitionum
alieni videbantur. Id enim necessa-
rium erat, ne saluberrima consilia
Ecclesijs & Reipub. vtilissima con-
trarijs quorundam Studijs & mutua
conspiratione (qualia multa solent ac-
cidere) impedirentur. In ea animi sen-
tentia cū fuerit, nisi tam immatura
& quasi præcipite morte auulsus à
nobis fuisset, permagnum quiddam si-
ne dubio præstitisset. Neq; verò in illa
tantū regione, quam administra-
bat, usus eius aliquis fuisset, sed vt
Primatis in Germania titulum &
dignitatem consecutus erat, ita præ-
buisse hoc ei ansam sæpe multumq;
de salute communi & concordie via
cogitandi. Intelligebat enim, quanta
esset dignitas, quāta amplitudo mune-
ris, quod titulo Primatis sustinebat.

Hanc

Hanc enim impositam sibi atq; com-
mendatam esse non ignorabat curam
constituendi de illis ex norma et præ-
scripto verbi diuini, quæ ad Dei glo-
riam, Ecclesiæ salutem ac stabilita-
tem, conseruationem veritatis do-
ctrinæ, ordinis Ecclesiastici formam,
& disciplinæ seuerioris nervos perti-
nerent. Quorum se cogitationem &
curam non neglecturum sæpe affir-
mabat.

In Politicis verò rebus prorsus
ita se gerebat, vt à Patre bono nihil
differret, & præberet illustrissimum
eius, quod à Xenophonte dicitur, de
se exemplū, ἀρχὴν ἀγαθὴν οὐδ' ἐν διαφέρεσι
πατρὸς ἀγαθοῦ, Bonus Princeps nihil
differt à bono Patre. Primū enim
de officij sui partibus sedulò sæpeq;
cogitabat, & in id incumbibat, vt
pro causarum & negociorum ratione
sua

sua cuiq; iusticia administraretur.
Destinabat ad hanc ipsam rem rectè
gerendam singulos certosq; in hebdo-
made dies, quibus instituerentur &
fierent iudicia cognitis & disceptatis
causis legitimè. Intererat ipse nego-
tijs, quotiescunq; de salute subditorum
agebatur. Non committebat, ut ne-
gotia prorogarentur, aut differrètur,
quæ res vel sola Principi subditorum
animos conciliat, ac vera benevolentia
deuincit, amorem alit, auget obedi-
di studium, & amicos facit. Videbat
enim in illa etiam ætate, à qua non
aberat inclyta indoles et sapientia, ta-
lem negotiorum dilationem non tam
subditis nocere, quàm sibi dedecori es-
se, ut qui minus rectè boni Princi-
pis officio fungi, minus consideratè
subditorum saluti prospicere, minus
rectè rationem illorum habere censerì
C poterat.

poterat. Ne igitur ob ætatē, sicut vix
erat annorū 20. tūm, Respublica à se
negligeretur, vel ab vlllo quicquam si-
bi vitio verteretur, Sigilla Principa-
tus sui sibi ipsi retinuit, ne absq; con-
sensu vel cognitione ipsius literæ ede-
rentur seu obsignarentur. Ac subinde
in eo memorabilem illam & Principe
dignam sententiam repetebat: Literæ
et sigilla sunt fidei et cōstantiæ in ho-
minibus testimonia Interim tamen, ne
sibi absq; aliorū iudicio censuram ma-
gnarū rerum arrogare videretur, in
consiliū adhibebat optimos quosq; vi-
ros, & Rerumpublicarū peritissimos.
Eorum igitur consilijs res multas &
magnas in suorum Episcopatuū vsus,
& emolumenta cum summa laude ge-
rebat, & iustitiam ex eorum iudicijs
& collationibus ita administrabat, vt
extiterint plurimæ prædicationes. In
ipsis

ipsis etiam gubernationis auspitijs ad ordinem aliquem in aula instituendum animum adiecit, Eodem cum institutus esset (sicut solebat nec temere tentare aliquid, nec temere proposito renunciare) summa cum industria magnaque cum laude, utebatur, nec unquam eum sciens volensque, vel ex composito transgrediebatur, nec cuiquam ut contra prescriptum eius ageret, permittebat.

In alijs rebus atque negotijs humanissimum sese gerebat, ut apparet ad humanitatem et clementiam ingenium illud a natura mirifice comparatum esse. Ac ut sunt illa ingenia ἠθικώτερα, et ad omnes motus leniores meliora, Ita hoc Principe nihil erat magis φιλόσοφος, nihil humanitate atque clementia in suos profusius. Inde factum interdum est, ut nonnulli sepe

pe vel errore mentis vel vitio superbia, vel imperitia rerum decepti, suam existimationem debilitari, suam autoritatē in discrimen vocari, suam dignitatē extenuari putarent, ac eam tandem Principis præcipuam laudem affirmarent, si erga subditos durum, austum & toruum se gereret, vel simularet saltem. At ipse totum hoc considerato laudabili more viuorum exemplorum, tanquàm stultum, imò tyrannicum & bono Principe indignum reijciebat, ac à natura sibi planè fictam aut fucatam illam toruitatem denegari affirmabat, vt autem eò facilius dictis suis fidem faceret, alijsq; os quasi obturaret, veteris Poëtæ humanissimam sententiam, quæ vnà cum autore notissima est, subins de recitabat:

Et

Et errat longè mea quidem sententia,

Qui imperium credit grauius esse aut
Stabilius,

Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia
adiungitur.

Mea sic est ratio, & sic animum in-
duco meum,

Malo coactus qui suum officium fa-
cit,

Dum id rescitum iri credit, tantisper
cauet,

Si sperat fore clàm, rursus ad inge-
nium redit.

Ille, quem beneficio adiungis, ex ani-
mo facit,

Studet par pari referre, præsens ab-
sensq; idem erit.

Hac igitur Mitionis voce, quæ et
Principe, & omnibus, qui cum impe-
rio esse coguntur, dignissima est, de-

C 3 fendere

fendere se solebat aduersus aliorū incu-
sationes, qui humanitati austeritatē,
beneuolentiæ seueritatē, clemētiae gra-
uitatē odiosam & inordinatā præfe-
rebant. In primis autem pauperum ra-
tionē eximiā habebat. Nā vt illa præ-
tereamus, quæ de mensa sunt ad pau-
peres ubiq; trāsmissa, ministris certē
suis, quos decūbentes cognouerat, lar-
gissimē mitti iubebat. Si qui ex Aca-
demijs vel Epistolam, vel quaecunq;
scriptum offerebāt (sicut nemini adi-
tus intercludebatur) cum illis fami-
liarissimē conferebat. Ac primū
quidem de statu Academiarum, de
Professoribus, de studijs, de moribus
& vita Scholasticorum perconcta-
batur: Postea cognitis ex sermone in-
genijs, si quem Reipub. vsui fore vi-
deret, illi statim ferebat opem ali-
quam,

quam, & Studijs eius in futurum mu-
nere non pœnitendo consulebat.

Quod verò ad priuatam &
quasi domesticam vitæ rationem atti-
net, erat in eo admirabilis castitas, &
pudor. Nemo nostrum, qui non tan-
tùm adfuimus, sed præfuimus in non-
nullis, turpiter eum viuentem vidit,
aut obscœna effundentem audiuit.
Imò loquentes de talibus, sicut fit in-
terdum, hostili prosequeretur odio,
adolescentes indignius loquētes acer-
rimè reprehendebat. Meminerant
multi ex ministris nobilibus, quando
vel ioco, vel eo animo, vt gratiam ali-
quam iniirent, fabulas commemora-
bant, non parùm ab eo se correptos,
sed cum stomacho quasi commonefa-
ctos esse, de moderatione verborum,
ac subinde Pauli dictum, quod aiunt

C 4 ex

ex Menandro sumptum esse, recitans:
Corrumpunt bonos mores colloquia
praua. O os impudens, aiebat, cur Spi-
ritum sanctum adficias mœrore? cur
pias aures puerorum offendis? cur
petulanti lingua ad lasciuas cogita-
tiones animos egrotorũ allicis? Hæc
& similia casti animi specimen præ-
bent, & castissimos mores indicant,
quibus in omni vita tam diligenter
studuit, vt existimatum sit à domesti-
cis, nulla eum turpitudinis labe infe-
ctum fuisse.

Illum verò tantum Principem
vtinam diutissimè viuere contigisset.
Sed fuit aliud in fatis, quæ velut inui-
dere terris tantum decus visa sunt, vt
verè de eo vsurpare possimus illud
Virgilianum:

Ostendent terris hunc tantum fata, neq; ultra
Esse sinent, nimium uobis Romana propago,
Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

Vndecimo

Vndecimo igitur Septembris,
cùm Halberstadia versaretur,
sanguis ipsi ex naribus destillare cœ-
pit. Ab eo tempore, usq; in quartum
diem, subinde aliquid destillauit, quo
profluuio sanguinis corporis et animi
vires non parum debilitabantur. Imo
eo penè omnes exhauriebantur atque
conficiebātur. Tandem reuerberatio-
ne aquæ frigida frontis adhibitæ sine
intermissione paululùm ab illo suble-
uatus, grauissimas in vtroque latere
sentiebat punctiones. Eas sequebatur
fluxus ventris, διαρροια, quam Medici
ex oppilatione epatis consideratis ijs,
quæ solent ab ipsis obseruari, origi-
nem trahere affirmabant, ac simul
etiam Hippocratis, aliorumq; de flu-
xuum illorum periculis iudicia com-
memorabant. Interim tamen collatis
inter se sententijs sedulò principijs ob-

C 5 stare

stare cœperunt. "Ac animaduerti quantum poterat, nisi fatalis ille casus fuisset, & voluntati diuinæ placuisset, sedulitate & diligentia Medicorum, quæ die noctuq; ab ipsis sine vlla molestia adhibebatur, fuisset illius valetudini consultum.

Eo igitur morbo detentus, cum quidem augescere eum videret, sæpe secum de voluntate Dei, cui omnia subiecta essent, meditabatur, sed vt consolationes veras haberet, repetebat testimonia sacræ Scripturæ, de beneficijs & meritis Filij Dei, de remissione peccatorum, de immortalitate animarum, de resurrectione mortuorum, de iucundissimâ piorum in æterna vita consuetudine.

Quoties

Quoties aliquis consolandi cau-
sa de vita longiore quasi spem face-
ret, vel tale aliquid, quo lenirentur
acerbissimi corporis dolores, comme-
moraret, Abmissum me facias, aie-
bat, quid illa iucunda mihi esse cre-
dis, cum potius augeant acerbitas-
tem? Video vitæ meæ finem adesse,
video mortem ob oculos obuersari,
Nulla teneor cupiditate vel desiderio
longioris vitæ, tali præsertim tem-
pore, quo neq; vera religio, neq; exter-
na disciplina hominibus vlli est curæ.
Dico igitur cum Paulo: Cupio dissol-
ui, & esse cum meo Christo. Dicite,
quæso, mihi, quid sit illud, quod me ad
vitam diutius expetendam inuitare
possit? num officij mei dignitas?
num Respublica ægrota & lan-
guens? num ætas mea florens?
num imperij gerendi potestas?

Sanè

Sanè officio meo plurimum me debe-
re fateor, quod quidem in hoc rerum
Statu non tam ob dignitatem mihi vo-
luptati, quàm ad restitutionem ruina-
rum religionis curæ esse deberet: Sed
quod in arbitrio Dei positum est, id
subire nequaquam recuso. Respublica
ob ingentes bellorum motus non sine
causa salutem suam desperat: Si ma-
nerem in viuis, prohiberem, quantum
possem, quæcunq; ob futura ei vide-
rem. Aetati meæ multæ sunt illecebræ
propositæ, quas existimaret aliquis ad
viuendum inuitare me posse. Sed ego
per Orationem Dominicam, quam
ipse Christus nos docuit, illas viuendi
voluptates quotidie aliquomodo in
Christo extinguo, & voluntati diuinæ
postpono. Idcirco quidcunq; Deus
de me fieri voluerit, id, qua decet
Christianum hominem, pietate ac mo-
deratione

deratione, subibo ac perferam. Etsi
autem Administrationis meæ breue
admodum gaudium fuit, qua de causa
munus à Deo commissum non semper
ea, qua debui, cura gessi, tamen cùm
voluntas Dei sit ineuitabilis, quid
ipse de me statuerit, eidem non graua-
tim acquiescam. Talibus vocibus sæpe
est vsus, ac iisdem subinde se aduersus
acerbitates & morbi grauissimas
adfectiones muniuit, ne quid in ægri-
tudine (sicut fit interdum) committe-
ret, quo vel Deum offenderet, vel sese
deformaret.

Talia per quatuor ferè septimas
nas sæpissimè repetiuit, hisq; simul ar-
dentissimas preces ad Deum miscuit,
quibus eum sedulò diligenterq; ora-
uit, vt ingentis misericordiæ suæ,
quam innocenti morte & precioso
sanguine Filius Dei reparasset, me-
mor,

mor, clementer peccata ipse sua remitteret, & propter Filium susceptum in gratiam confirmaret sancto suo Spiritu, ne fidei veræ scintilla in animo ipsius extingueretur, neue elangueret sensus viuificæ cōsolationis in corde.

Hæc vt certa fide à Domino se expectare ostenderet, bona conscientia enim prodire vult & conspici, adhibuit sacræ Scripturæ plurima testimonia, quorum recordatione morbi dolorem leniuit, & conscientiam aduersus insultus et tentationes Diaboli muniuit, dicens: Domine Iesu Christe, esto peccatori mihi propicius, esto memor promissionum tuarum, quibus ad tuam gratiam benignissimè peccatis onustos inuitas, inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Cùm verus
&

Et fidelis sis in promissionibus, nul-
lum omnino mihi dubium est, quin
me grauiter et morbo et vicio na-
turae laborantem, pro benigna tua
voluntate sis refecturus, liberaturus,
ex omnibus periculis erepturus, et
ab omnibus malis semper conseruatu-
rus. Ego mihi Cananae exemplum
propono, cur eras ab ea tam alienus?
cur illius inuocationi aures benignas
initio non praebuisti? Certè ad veram
fidei constantiam retinendam, eo ex-
emplo allicere nos voluisti. Nam si
eam in gratiam recepisti, quid ego,
qui nomen tuum in Baptismate acce-
ptum gero, non expectem? quid de tua
in me bonitate dubitem? quid mihi de
te non promittam, cum veritatem
verbi tui, et misericordiae tuae prom-
ptitudinem bene testatam babeam?

Sane

Sanè indubitanter confido, te mei
quoq; rationem pro clementia & be-
nignissima voluntate tua habiturum,
nunquam me deserturum, à conspectu
tuo nunquam abiecturum, ex viuen-
tium libro nunquam deleturum. Si
autem voluntati tuæ ita visum fue-
rit, vt in hac morbi mei anxietate
diutius viuendi potestatem non ha-
beam, scio mihi in sententia tua ac-
quiescendum, Tu enim iustis de causis
motus, nemini vnquam iniuriam fa-
cis, nemini intollerabilia imponis, ne-
mini impossibilia præcipis, nemini de
bonitate tua querendi occasionem re-
linquis: Imo iustus es in sermonibus
tuis, & vinces cùm iudicaris. Talis
verò fiducia, quæ in frequenti & assi-
dua inuocatione ita fulget, quàm sit
magna, ijs in confesso est, qui in illis
palæstris ac certaminibus aliquando
sunt

sunt versati. Quid posset Christiano dignius? quid melius? Quid vtilius esse, quàm tali fide se Deo, eiusq; voluntati committere totum? Quid potuit illi præclarius à Deo contingere, quàm eiusmodi veræ fidei fulgor? Eius enim vis & constantia tam est efficax, ut se cõtemptis omnibus mundi illecebris, soli Deo submittat. In tot afflictionibus, in tot morbi cruciatibus, in ipso deniq; mortis agone, omnes Diaboli tentationes & insultus fortissimè vincat, Diabolum repellat, falsas illius persuasiones animo excutiat, easq; viuis scripturæ sacræ argumentis confutet. Ita nullus sensus humanitatis, nulla veræ religionis, nulla fidei constantia, nulla pietatis declaratio, nulla Christianæ mentis significatio, nulla mortis subbeundæ patientia, in ipso desiderata fuit. **D** **Ir**

In ipso tandem agone prorsus
ita se gessit, vt nec mortem extime-
sceret, nec acerbitatem eius sentiret,
nec Diaboli concertationes detrecta-
ret. Eos, qui aderant, hortabatur ad
orationem, iubebat, vt sublatis cum
voce ad cœlum manibus, Deum ad
communicandam Spiritus sancti gra-
tiam interpellarent, ne diaboli poten-
tia in tentatione fatigatus, à fiducia
semel concepta abduceretur. Erupit
etiam ipse in has voces: Domine Iesu
Christe, adauge mihi fidem, & iucun-
dam aduentus tui expectationem, vt
læto animo hunc expectem, neq; mor-
tis tormenta pertimescam. Quoniam
tu mecum es. Ultima vero vox eius
fuit: Domine Iesu, esto mihi peccato-
ri propitius. Cum hac voce expi-
rans, animam Deo Conditori reddi-
dit.

Ita

Ità vidimus eum pijsimè morientem, vidimus eum adeò leniter exhalare spiritum, vt, nisi mortem adesse sua inuocatione significasset, nemo nostrum vel sensisset, vel obseruasset: Vidimus eum rectissima et integerrima mente ad extremum usq; halitum fuisse. Antequam expiraret, in sellam vt collocaretur, & igni adhiberetur, mandauit. Id cum fieret, mors continuo subsecuta est. Nec dubium est in illa veræ fidei confessione ex his tenebris in lucem, ex confusionibus ad gloriam, ex miserijs in æterna gaudia eum concessisse. Verè & præclare à Bernhardo dictum est: Mors impiorum pessima, quorum & natiuitas mala, & vita peior: Sed sanctorum mors est preciosa, vt quæ & finis laborum est, et victoriæ consummatio, aditusq; & ianua ad vitam
D 2 æternam.

æternam. Incidit autem obitus ille
tam inclyti Principis in annum ab
orbe redempto 1552. cum paulò
antè eodem anno fuisset ad guberna-
tionem euectus.

Elapsis autem octo propemo-
dum horis post mortē, actio quædam
cum corpore instituta est, quæ more
maiorum in Principum exuijs tu-
mulandis institui solet. Accessit etiam
cura vel reuerentia talis, vt nihil,
quod tanti Principis reliquijs aut cor-
pore dignum esset, omitteretur.

Tandem octauo die venit Halber-
stadium inclytus Princeps Ioannes
Georgius Ioachimi II. filius, natu
maximus, & Friderici nostri germa-
nus frater. Eo præsentē, & compara-
tis omnibus, quorum vsus esse pote-
rat,

rat, honestissimè in maximo cœtu & frequentia Comitum, Nobilium, Ciuium, & aliorum quorundam, in æde Diui Stephani apud Halberstadienses, vbi monumentum ingens defuncti manibus erectum erat, non sine omnium astantium multis lachrymis, & creberrimis gemitibus sepulturæ mandatur.

Etsi autem & scimus & experimur, quantopere hæc ætas nostra calumnijs delectetur, in qua multi sunt, qui his viuunt & saginantur, sicut glires somno, tamen, vt præclare Menander dixit: *χρησὸς πονηροῖς οὐ τιτρώσκειται λόγοις*, Est miserorum, vt maleuolentes sint, & inuideant bonis. Et iste thesaurus stultis in lingua situs est, vt quæstui habeant malè loqui melioribus, vt Plautinis verbis

D 3 vtar,

vtar. Quæ verò commemorata sunt,
& verissima esse, norunt plurimi te-
stes ἀξιόπιστοι, Nam & audita coràm,
et visa sunt à multis, quorum & erat
olim cùm viuerent, & nunc est, sicut
adhuc superstites sunt aliqui, summa
fides .

Nos omissa mentione liuoris
maleferiatorum, deploremus imma-
turum optimi Principis obitum, cuius
indoles et pietas vt cum ætate cresce-
bat, sic si ad maturitatem iustam per-
uenisset, tùm demum in sapientia &
promptitudine consiliorum, & in
omnibus gubernationis officijs eluxis-
set. Cumq; Deo in meliorem eum vi-
tam transferre visum fuerit, console-
mur orbitatem nostram spe, quam
præbet nobis optimam ac certissi-
mam Illustrissimus Frater successor,

Ac

Ac Deum precemur, vt hunc tueas-
tur, regat & seruet. Agamus &
Deo gratias, quòd lucem doctrinæ
cœlestis in his regionibus accensam
clementissimè fouet. Ac simul etiam
toto pectore precamur, vt relinquat
nobis semen sanctum, & faciat nos
misericordiæ vasa, & actiones no-
stras ad nominis sui gloriam
paternè perpetuòq; re-
gat atq; gubernet,
Amen.

F I N I S.

D 4 AD



AD IOACHIM
MVM II. ELECTOREM
Brandenburgensem, Epistola Pauli
Prætorij, scripta quondam in funere
Friderici Archiepiscopi Magdebur-
gensis, Primatis Germaniæ, Admi-
nistrætoris Halberstadensis, Mar-
chionis Brandenburgensis, Stetinen-
sium, Pomeraniæ, Cassubiorum, Scla-
uorum & Crosnæ in Silesia Ducis,
Burggrauj Norimbergensis,
& Rugiæ Principis.



VM SATIS EX-
ploratum habeam, Illu-
strissime Elector, ani-
mū tuū pro singulari tua
pietate in acerbissimo luctu versari,
propter immaturā & intempestiuam
mortem carissimi filij Friderici Ar-
chiepiscopi Magdeburgensis, & Ad-
ministra-

ministratoris Halberstadensis &c.
qui citius, quàm cuiusquam opinio fe-
rebat, à nobis auulsus, incredibile sui
desiderium, tùm bonis omnibus, tùm
inprimis tibi optimo parenti, reli-
quit, cælare Celsitudinem tuam nec
possum nec debeo, eūdem illum filium
tuum aliquantò antè diem fatalem,
quem quidem ab initio morbi statim
non dubijs nec vanis quibusdam iudi-
cijs præsensit atq; prædixit, hoc in
mandatis mihi dedisse, vt quoniam
persuasissimum habebat, se vita de-
functo, incredibilem in animo tuo do-
lorem oboriturū, suo nomine te, quoad
eius facere possem, consolarer, mone-
remq;, vt hominem & se & te natum
esse meminisses, nihil vel à se, vel à te
alienum accidisse putares, nihil eue-
nisse, vel sibi vel tibi proprium aut
peculiare existimares.

D 5 Ad

Ad hæc & sui memoriam tibi
genitori suo & fratribus, atq; adeò
omnibus, qui pars aliqua sunt Inclytæ
Brandenburgicæ stirpis, verbis aman-
tissimis iterũ atq; iterum piè omninò
commendavit, quos quoniam supersti-
tes relinquebat, ipse mortuus est eò li-
bentius. Non enim extingui sibi vi-
debatur, cum & locum apud beatos
à Deo expectaret, & nos hic habe-
ret, quorum in animis memoriaq; pos-
set quasi sæpius vno tempore obuersa-
ri. Te verò vt parentem vnicè dile-
ctum, inprimis maioremq; in modum
per me iussit orari, ne suum interitum
nimium defleres, nèue tuis lachrymis
perturbares eã, qua se sperabat apud
Christum in cœlis, quiete fruiturum.

Etsi autem non ignoro, quid à
me fieri deceat, cum hoc mandati loco
iniunctum mihi sit, vt videlicet, post-
quam

quam ipse suo tempore, minus fortasse
tuo, è vita excessit, te mœrentem à do-
lore reuocarem, luctumq; tuum miti-
garem, tamen illud me valdè mouet,
quòd non conueniat, vt sus Mineruam
(sicut prouerbio dicitur) doceat, præ-
sertim, cùm sciam te Principem esse,
ad quamlibet fortunam rectè feren-
dam apprimè doctum, & longa expe-
rientia assuefactum esse, adeò, vt mea
consolatione prorsus non habeas opus,
Quin etiam dolor me tantopere debi-
litauit, vt ipse videar solantium ope
egere, vtq; propter ingentem animi
mei mœrorem vix aliquid proferre
queam, vtpote qui talem amisi pa-
tronum, cuius pectus ab ineunte pro-
pmodū ætate liberali doctrina imbui,
qui me vicissim dilexit, iuuat, fouit,
prouexitq;. Quæ cū ita sint, tibi ipsi cō-
solationē ex verbo Dei petes, tibi ipsi
solatio

solatio longè rectius eris, te ipsum colliges, & à mæsticia ad sereniorum animi statum auocabis. Id omnino faciendum esse, multæ res testantur, & à te summopere efflagitant, Nam in ista continua sollicitudine & nimio animi dolore, nihil facilius est, quàm in eum deuenire locum, vnde emergi non potest.

Neq; verò tantopere te moueat illud, quòd filius tuus vnicè dilectus in ipso ætatis flore vitam cum morte commutauit, & cum adhuc viuere per ætatem complures annos posset, necesse habuit è vita tanquam è scena nondum conclusa fabula discedere. Vixit enim eousq;, quoad benè ei licuit viuere, mortuusq; est suo tempore (vt mihi quidem videtur) nostro certè minime, cum omnes eximij quiddam, & quod permagnum esset, ab ipso expe-

Etaueri

Etauerimus. Ac est omnino id ferendum, & voluntati diuinæ parendum, quæ quidem hoc potissimum tempore ideo ipsum ex hac mortalitate ad æternitatem euocasse videtur, ne distractionum, spoliationum, & multiplicium ærumnarum spectator esset. Quare ille quidem, quàm diu potuit, commodè & cum dignitate esse nobiscum, fuit, atque ita fuit, ut suorum nobis cum factorum tum dictorum propè omnium recordationem iucundissimam reliquerit. Nunc autem, cum de voluntate DEI optimi maximi, è vita velut è statione sua sit euocatus, eò abiit, ubi æterni Patris, æterni Filij, æterni Spiritus sancti faciem coràm intuetur, & lætus sempiterno fruitur æuo. Quapropter illius causa nihil est, quod magnopere doleas. Nihil enim accidit ipsi mali.

Nam

Nā quid illi potest accidere mali, qui
in ipso Dei Filio piē obdormiuit? Nisi
hoc malū sit, ex labore ad quietem, ex
dolore ad indolētiam, ex morbo ad sa-
nitatem, ex ætate non lōga ad perpe-
tuam, ab exilio ad beatissimam pa-
triam, cœlum ipsum, emigrare.

Erige te igitur, prudentissi-
me Elector, excita te ipsum, ac mœ-
rorem istū ex animo depone, id si Cel-
situs tua non fecerit, & conso-
lationes diuinitus traditas ex verbo
Dei maturè non petiuerit, timendum
profectò his regionibus est magnum
malum. Nam in tua fide et defensione
non aliter atq; in sacra anchora spem
positam omnes subditi habēt, te suspi-
ciunt, te admirantur, te iustum, te bo-
num, te prudentem Principem nomi-
nant, & vbiq; commendant. Vt igi-
tur tristitiam istā omittas, summè ne-
cessarium

cessarium existimatur. Nam oportet parere Deo, oportet illam calamitatem à Deo profectam putare, sicut scriptum est: Non cadet pilus de capite vestro sine voluntate Patris. Cogitandum etiam est, hominem eum natum fuisse, qui si nunc diem suum in hoc perturbato rerum omnium statu non obiisset, fuisset tamen ei nō multò post moriendum. Meo sane iudicio præclarè cū illis agitur, quibus in tam frequenti armorū cōcursu, et omnium rerum iniquissima conditione vitam cum morte piè cōmutare licet. Quid enim erat, quod illum hoc tempore ad viuendum magnopere potuisset pelli- cere vel inuitare? quæ res? quæ spes? quod animi solacium? Habes interea Ioannem Georgium, cuius & conspe- ctu & sermone te oblectare potes. Habes Sigismundum, natu quidem minorem,

minorem, sed talem tamen, in quo futura virtutis semina conspiciuntur. Nam neque pietas, neque ingenij dexteritas, neque virtutum amor in eo desideratur, de quibus sicut summam spem præbet, ita nunquam arbitramur ipsum illam irritam facturum.

Proinde etiam atque etiam rogo, ut curis istis animique molestis frenos deinceps inijcias, neque diutius committas, ut cum fortunam secundam optimè feras, adversam iniquo animo ferre videaris. Hoc te nihil magis erit dignum, et alijs valde multis nihil illo gratius accidere potest. Christus Iesus det consolationem cordi tuo, et regat Celsitudinem tuam ad nominis sui gloriam. Ex Halberstadio 12. die Octobris, cum paulò antè 3. die eiusdem mensis, mane hora penè 3. Anno 1552. piè et placidissimè filius ille tuus in Domino obdormiisset. 10.

IOHANNIS

SCHOSSERI ECLOGA

GA DAPHNIS.

Melibœus. Aegon.

Est locus umbrosa qua serpit arundine cinctus
Nympharū genitor Sueuus, tremuloq; perer-
Flumine, iucundo uelatas gramine ripas: (rat
Hic ubi fraterno se iungere gestit Hauelo,
Atria prateriens, quæ condidit inclytus Heros
Marchio Turcarum domitor: uicina Napææ
Rura tenent, saltusq; uagos & prata frequentant:
Huc duo Pastores, senior Melibœus & Aegon,
Compulerant pecus, & stridentes ore cicutas
Inflabant, medio dum sol spectandus Olympo,
Suaderet gelidum captare sub arbore frigus.
Maior erat docti Melibœo carminis usus,
Atq; inter pecorum custodes gloria maior,
Attamen Aegonis, cui nondum plenior ætas
Venerat, exilem non contemnebat auenam,
Sed magis huic animum dictis firmabat amicis,
Præcipiens calamos inflare, & dicere uersus.
Nec mora, cantandi (postquam consedit uterq;))
Argumenta legunt: prior & Melibœus amarum
Daphnidis interitum memori sub corde reuoluens,
Incipit, ac tales emittit in aëra uoces.

E

Marchi

M. Marchiaci colles, & consita floribus arua,
Tuq; Sueue pater, syluaq; & lustra ferarum,
Perpetuum saluete: quibus notissimus olim
Daphnis erat, Daphnis patrij spes unica ruris,
Pastorumq; decus, qui pabula sacra ministrant
Signatis ouibus diuini rore cruoris.
Sapius hic mecum uitrei propè gurgitis undam
Egregius puer errauit, Nymphasq; propinquas
Vsit amore sui: dum dogmata plena salutis
Imbibit, atq; meis admouit uocibus aures.
Namq; illum pietate parens illustris & armis,
Tradiderat prima nobis etate regendum,
Ut monitis formata pijs mens illius, olim
Promulgare sacras leges & candida nosset
Iura uiris, in amoena greges qui pascua ducunt,
Quiq; putres unco proscindunt uomere glebas.
Lenta salix ueluti tractanti cedit, & omne
Flectitur in latus, & manibus non dura resistit:
Sic etiam nobis generoso pectore Daphnis
Cedebat, precepta sui patienter alumni
Admittens, gaudensq; regi & parere monenti.
Nec tantum fuit Aemonio dilectus Achilli
Longæuus Chiron, quantum me Daphnis amauit.
At fera non unquam laudabat prælia, pacem
Imo corde fouens, & relligionis amorem.
Functus erat fato diuini pastor ouilis,
Eximius pastor, mitraq; insignis & ostro,
Hic ubi Parthenopen & culti Saxonis agros
Humectat

Humectat pater Albis, & amplas alluit urbes.
Iamq; petebatur tanto successor honori,
Qui clarus pietate foret, possetq; supremas
Pastores inter, partes cum laude tueri.
Daphni places, moresq; tui uirtusq; probantur,
Ingeniumq; sagax. ergo tibi traditur uni
Pastorale pedum, gemmis auroq; superbum,
Et sacrum diadema, uiris quod tempora cingit,
Qui praesunt sancto Christi saluantis ouili.
Letabuntur oues, uarijs & cladibus actae,
Hoc duce sperabant afflictis aurea rebus
Secula. sed magnis semper mors inuida coeptis
Funere tollebat Daphnim: praecleara priusquam
Illius ingenium monumenta relinqueret orbi.
Vix etenim tenera signans lanugine malas,
Aethereos manes letho resolutus adibat.
Hoc erat in uiridi segetem prosternere campo
Lactentem, spesq; agricolae deludere inanes.
Hoc erat hortorum, tota radice reuulsa
Dum flos arboribus decori est, disperdere foetus.
O spes fallaces, incertaq; tempora uitae,
Siccine florentem perimis mors improba Daphnim?
Heu probitas, heu sancta fides, heu pectus honestum.
Nulla greges illo pascente pericla tulissent,
Non lupo insidias struxisset, non ferus anguis
Roscida tabifico foedasset prata ueneno.

Talia finierat Melibœus, & ultima cantus,
Sylvarum fuerat murmur Sueuicq; secutum:

Donec ab ore sonos Phœbeius edidit Aëgon,
Ac breue syluestri subiunxit arundine carmen.

Ae. Infandū renouas nobis Melibœe dolorem,
Vt uarijs auctum donis florente sub æuo
Sustulerint Parcæ Daphnim. quis talia leto
Audiat, immiti genitus nisi tigride, uultus
Hoc etiam syluas, hoc amnes funere motos
Arbitror, & mixtas lachrymis iterasse querelas.
Tristius haud quicquam certè pastoribus ipsis
Contigit, indigna quos Daphnis morte reliquit.
Hinc omnes resonant campi tua nomina Daphni,
Et quæ Sala uagus populosi Saxonis oram
Irrigat: & ueterem quæ perfluit aurifer Albis
Ottonum patriam, loca foeta uirentibus herbis.
Sæpius incisos & in altæ cortice fagi
Pastorum lusus, ac dulcia carmina legi, (cum
Carmina, quæ Daphnim celebrât, columnenq; supra
Præsidiumq; uocant. nec enim plus alter amauit
Hos, qui uersiculos tereti modulantur auena.
O fortunatos, nisi mors tua dura fuisset,
Carminis autores: illis argentea dudum
Fistula pro buxo, Nymphas mulceret agrestes.
Sed quid in immensum iuuat accumulare querelas,
Dum super æthereas nubes atq; astra leuatus
Despicit humanæ Daphnis fastigia uitæ,
Præsentemq; uidet pastorem, sanguine fuso
Qui seruauit oues sacro sibi foedere iunctas?
Quin potius letas tollamus ad æthera uoces,

Quod

Quod præstans animi, uirtuteq; clarus auita,
Nunc Pherenicus habet defuncti fratris honores,
Et miseras defendit oues, ouiumq; magistros.
Huic etiam pietas curæ est dignissima coelo,
Hic etiam summo dignatur amore Poëtas.
Nam mihi, qui rauco uix profero carmina cantu,
Plurima dona tamen confert, patiturq; canentem
Pascere in herboso lasciuis rure capellas.
Quod nisi me fallunt fatalia sidera cœli,
Unus hic innumeris rerum successibus auctus,
Illustres superabit auos: nec Marchica quondam
Vllo se tantum tellus iactabit alumno.
At Melibœe tui quæ merces digna laboris
Ac uirtutis erit: per quem formata decenter
Heroum soboles ad publica munera surgit?
Dum geret Imperij cannosus sceptrâ Sueuus,
Donec Hauelus erit piscosior omnibus undis,
Dum dabit hospitium facundis Odera Musis:
Semper honos Melibœe tuus nomenq; manebit.
Talia cantabant: & iam se fregerat æstus,
Phœbus & ignito tendebat ad æquora curru.
Ergo læta greges in pascua rursus agebant.

F I N I S.


WVITEBERGÆ

Ex Officina Typographica Hæ-
redum Georgij
Rhaw.

ANNO M. D. LX.



F I N I S



Ka. 1976 Gf

ULB Halle 3
002 178 672



m.c.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Q.K. 186.

DK. 186. 45

III, 637

DE FRIDERI-
CO ARCHIEPI-
SCO PO MAGDEBUR-
gensi &c. Administratore Halber-
stadensi, filio Ioachimi II. Ele-
ctoris Brandenburgens-
is &c.



NARRATIO

PAULI PRÆTORII
Bernouiensis, Præceptoris & Sena-
toris iuniorum Principum Bran-
denburgensium.

ADIECTA EST EPISTOLA
eiusdem Prætorij consolatoria ad Electorem
Brandenburgensem, in funere FRI-
DERICI &c.

ITEM

ECLOGA IOHANNIS SCHOS-
seri in laudem eiusdem Marchionis Fride-
rici Archiepiscopi &c.

VVITTEBERGÆ

1560.